


QK.253, 23.

IV, 390



DÆDALUS,  
è dupliciti Labyrintho vindicatus:

h. c.

Biceps rara felicitas,

CLARISSIMI, ac PERSECUTIONIBUS PRO-  
BATISSIMI

M. GEORGII  
LANI, Hung.

In ante Civitatis Montanæ CARPO-  
NENSIS in Hungaria RECTORIS

meritissimi,

dum primò

Ad Triremes Neopolitanas injustissimè ab ductus,  
justissimè, juxtimq; felicissimè elapsus, post redux  
in Germaniam, secundis auspiciis,

IN ALMA LIPSIENSI  
Supremos in Philosophia Honores

faustiter occuparet,

A.O.R. M. DC. LXXVI. Die 28. Januar



WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbein.



VIRTUS SUCCISA,  
SUCCEDIT MELIÙS.



**L**ANI victor ova, cessit victoria victis !  
Jam redit in \* *Somno visus Post nubila Phœbus.*  
Dicere qvis valeat, qvæ *Vos superastis iniqua ?*  
Qvam fatale malum ? sors qvos conjunxit amara  
Constantes Tecum Socios *gravioraq; passos:*  
Qvos Tu firmasti verbis [*livor. malus infit*  
*Facta docent ] qvid tum? Invidiam movere incluta Virtus.*  
Talia Romuleus Vobis Ergastula passim  
Juppiter extruxit, teturum & *Vos trusit in antrum.*  
Branicz Te, Kapuvar, Berencz, Leopoldo polisq;  
Komaromq; alios, Iberhard, Savarq; tenebat :  
Donec ad Hispanas rapereris (*ô ausa!*) *Triremes.*  
*ô quoties lachrymis vultus oculosq; rigasti !*  
Dum TUA membra fero lacerarunt verbere **CACI**  
Sorte favente dolos, vicisti atq; auspice Christo :  
Teutonia Exulibus decus & Tibi præbet asylum.

Dura \*\* redux aliud fit PAR sua vincula narrans,  
**MASNICIUS** tum **SIMONIDES** sacra nomina Christo :  
Testis qvid valeat vultu *Tarpeja minaci,*  
*Thais* in innocuè Captos. *Tu Jova require !*  
Ast nullo fœdata malo *lectissima TRIGA,*  
Continues *bellum Domini*, fac pectore firmo :  
Cunctipotens animos Vobis viresq; secundas  
Sufficiet. Faciet ! *Tandem bona causa triumphet !*  
**MAGNUS KLESCH** aderit Vobis ille *Arbiter equus,*  
Victima qvi fuerat Libitinæ \* \* *trina parata.*

Ast Tu chare *Deo nimiumq; exercite duris*  
Macte animo ! Cui nunc **PHILYREUS** Apollo *Coronam*  
Aptat: Virtutis longiq; insigne laboris.  
Vinclorum meminisse juvat: quantumq; tulisti ;  
Hoc compensat HONOS tandem [*procul atra recedat*  
*Invidia*] atq; ferat Patriæ & Tibi præmia larga.  
Sed Tu Transtrorum sub pondere respice Christe  
Captos: Scyllam inter positos scopulosq; sonantes ,

Mor-



Mortem qvī potius malunt qvam nomina Christo  
Tradita, Romanæ subscribere turpiter AT&E

Ze qv Chri mi magnifi  
\* \* lus os sti rus jam cavit,  
Zoi h tri di dentene  
*Ah redeas \* \* \* Genitor, Mater pia, pignora poscunt.*

Ita emeritis pridem Honoribus, reduciq; communi  
bono Patriæ, ex Hispano-Papistico jugo, affe-  
ctum testabatur

**CHRISTOPH. MAZARIUS, Hung.**

Parentis Triremes deplorans jugiter

Anno

Ô DeVs tristes tVos In trIreMibVs CaptIVos Llibera

\* Posonii nempe, priusquam constantes Christi Confessores, cum carni-  
fice [qui eos funib. & aliis terriculamentis jussu Archi-Episcopi, unicè ad  
subscribendum pellicere studebat] duderentur ad carceres : Cl. Dn.  
G. LANI in somno visa ingens tempestas ; qvam tamen mox innubis  
dies conseqvuta. En somnum duplixi omne implevit Deus : Libertate  
& Novis Honoribus ejus Crucem illustrando ac mitigando.

\*\* Priscae hi pietatis ac fidei Viri Pl Rev. Tobias *Masnicius* Ilavien-  
sium olim Diaconus, Cl. D. *Johannes Simonides* Brizn. Rector felicissimus  
& fidelissimus : post sententiæ fulmen, in Tertia Citatione à Delegato  
Judicio in innocentes iniquissimè evibratum, qvod Antichristi Rever-  
salibus subscribere contra conscientiam non possent, Leopoldini cum  
reliquis intrepidis Martyribus, gravissima qvæq; sunt experti: post pedi-  
bus compede vinclis ad Triremes [suppliciorum genere omnium miser-  
rimo] à desperato milite sunt pulsi; Ab illis tamen, eodem quo Cl. D.  
Lani die fugâ sese salvarunt. Et cùm denuò Capracottæ desperatori  
carceri superioribus, in fuga capti, inderentur, ac nova iterum velut  
mancipia ad Triremes venum prostarent, Christianorum Mercatorum  
interveniente prece & pretio, sunt libertate donati : ac hodie emenfo  
tanto itinerum intervallo, Wittebergæ, apud plium Abdiam refocil-  
lantur, vias & miserations Dei deprædicantes, fataq; Concaptivis ge-  
mentibus similia comprecantes. Fiat !

\*\*\* Nempe primū cùm à Croatico milite in ædibus Parochialibus  
Olas-



Olasini, captus, & ferro sauciatus, velut spectaculum Mundi, ad Arcem Varaliensem duceretur: deinde cum in desperata captivitate Cassoviæ detineretur: tandem cum Arrestum Lubloviensem sustinere cogeretur. Taceo præsentissima alia pericula in Inferiori Hungariâ illi data, quæ præsertim in Expeditione illa Mahumedano-Scythica subiit, ex qua (bonis tamen omnibus exutus) vix vitam, cum suis eripuit, Vir ille Dei omni fortunâ exercitatisimus.

\* \* \* Dolent una mecum boni, quosdam tam abjectè de vinculis in Triremibus gementium sentire, doloresq; eorum aggravare. Pro quorum tamen eliberatione, si vel communi Christiani officio, defungi vellet, cum tota Ecclesia preces fundere deberent. Qvorum deploratissimus status, jam & ipsis Persecutoribus corda emollivit, tantiq; Princes & Academiæ causæ eorum justissimæ patrocinantur. Nescis quid serus uchatur vesper.

\* \* \* \* Ignoscet filiali amori Vir Cl. dum invitante voculâ *Genitoris*, in metri calce adjecta, brevissimam Synopsim fatorum Parentis mei, Danielis Mazarii Pastoris ultimo Thamas salvæ longè dignissimi, ob oculos T.C. proposuero. Non enim vel pietate mea dignius, vel *Tuo erga me affectui convenientius argumentum exhibere potero, quam si Tui fidi Para statæ, & omnium Catastarum Consortis, quæ pro veritate & innocentia Evangelica constantissimè sustinuistis, mentionem injecero: prognosticaq; à primis incunabilis, non vano augurio Carceres ejus & Triremes, in senili ætate subeundas, portendentia, recensuero. Fuit is *Christophori Mazarii* Pastor olim Revuczensium, sub Murany, Filius: Avum etiam numeravit, felicis recordationis, Virum Pl. Rev. *Georgium Mazarium*, Thamas salvæ Pastorem. Natus verò est Anno salutis 1626. in Ribnik (qui pagus est in Comitatu Gömöriensi Turcis tributarius) unicus Filius, & Sorore unica, quam in legitimum thorum sibi delegit Vir sanctissimæ vitae & zeli plenus *Andreas Bubenka* olim Pastor Ochtinensis, in eodem Comitatu, jam cum reliquis Exul Christi. Et cum Avus cum Parente meo, tum in cunis vagiente, præviâ vocatione divinâ, rediret, in Sucham in Comitatum Kyshontensem, ut partem Ecclesiæ illius ad Papismum secedenter, ad fidem & officium pristinum revocaret: plane ipso introductionis die (uti vocant) cum res Avi mei Parochiæ inferebantur, per furibundam autem novellorum Papistarum fecem ejiciebatur: evenit, ut Parens meus unâ cum cunis extra Parochiam exturbaretur, jamq; in tenella illa ætate, crudelitatē Papisticam experiretur. Quo indigitabatur (uti ex eventu ha- riolari*

riolari licet ) eum extra domum & extra Patriam à Papistis ejec-  
tum iri. Religio enim Lutherana à primo plantationis die, continua  
sensit phases, & sanguineas à Papistis persecutiones, usq; ad totalem jam  
~~τανόλετείαν~~, dum ex toto Regno exulat, si Sempronium excipias: do-  
nec exurgat Deus, qui judicabit causam suam. *Psalm. 74. 22.* Redux igitur  
**A**vis meus ab ingratis, qui Evangelio planè hospitium denegabant, in  
Ribnik spartam priorem ornavit: deinde Revuczam evocatus, ac solen-  
niter tympanis & vexillis, totô obviam procedente Oppido (quæ erat ve-  
neratio Ministerii in Hungaria) exceptus, Cathedræ illi præfuit, ad ex-  
tremum usq; halitum, Exemplaris ille & fidelissimus in Domo Dei ser-  
vus. Sacris verò jam initatus, ac Articulis fidei, humanioribusq; literis  
probè tinctus ac adultior factus, cœpit Parens honoratissimus, Artem  
**M**anuariam Lanionū, post habitis Scholis, tractare: contranitente acriter  
**A**vo sanctæ memoriae. Alia v. erant de Te Parens mœstissime, Dei consilia,  
aliæ Artes Te manebant, alia fata: nempe, ut non tantum in Pannonia  
exemplo Avorum Nomen Jesu annunciarer, sed & coram Judicio Dele-  
gato Posonii, ac extra Natale solum, in Triremibus, in vinculis, seminu-  
dus, catenatus, æternum Evangelium Dei, prædicares. Qvare verbetibus  
à proposito revocatus [quod non ad confusionem venerandæ ejus ca-  
nitici, gravesq; vinculorum exacerbando dolores profero; sed ut pa-  
teat, quam mirabiliter suos ducat Deus, & vel fugientes ac recalcitrantes,  
(ut Jeremiam & Jonam) divinō suō præficiat muneri] ad Scholas rediit,  
& continuâ serie, tum celeberrimas Olasiensem, Alnoviensem, Solnen-  
sem & Briznensem freqventavit, in postremisq; duabus Præceptorem,  
ætate illa diligentissimum *Buzik Ramistam* audivit, eiq; se penè omnia  
debere, constanter fatebatur. Ac statim Artis ejus Censores seqvuti. Nam  
evocatus Czetnekium, Cantoratus officio, modicō spatio, cum laude ta-  
men præfuit; post Revuczam evocatus, optimi Rectoris partes adimple-  
vit universas. Ubi & matrimonio felici & tranquillo sibi junxit Virgi-  
nem, sexus sui decus & ornamentum, *Mariam Piscatoris*, Matrem meam  
lectissimam: cum qva sexus masculini prolem suscepit senam. Johannes  
qvidem bimulus fatis concessit, ut & Georgius Ialans: nos verò IV.  
*Georgius* alter, natu nunc minimus Acicularius, Jacobus medius Stu-  
diosus, Elias Lanio, qui nuper Pl. Rev. D. Vég Filiam sibi in futuram vi-  
tae & fortunarum sociam adjunxit, Parentis miseri Sympalæstritæ: & e-  
go primogenitura reliquis felicior, nos inquam, qvoad visum fuerit  
**p**io Numini, vivimus orbi, liberationem Hungarici Israëlis, imprimis  
verò



verò vinculorum, quæ heu miserum! stringunt Parentem, solutionem solicite anhelantes. Revuczæ postquam valedixisset in Schuyatz pro Pastore est evocatus Dn. Parens: Seniore existente perpetuo Joh. Mayero Theologo exemplari, jam in cœlis triumphante, qui locus ad Boream situs Arcis Murany. Ubi per septennium substituit, ac boni Pastoris officio ex asse satisfecit. Sed cum à plagiariis bis, penè caperetur, si non, duce Deo, ob agilitatem corporis insolitam, pedumq; celeritatem se salvasset: pertæsus periculorum (nam & Antecessor ejus à Turcis captus & miserè laniatus fuit) locum mutavit, & Thamasfalvam, ordinariis mediis evocatus se transtulit. (Locus is erat subjectus Turcæ in Comitatu Neogradiensi, adeoque ab invasionibus plagiriorum tranquillus) Hic, cum per XV. Annos magno Ecclesiæ suæ commodo substitisset, ac freqventer in splendidioribus Nobilium Funeribus circum circa, sacra peregrisset [svadâ enim, perspicuitate & dexteritate docendi omnibus complacebat] ac saepius cum vicinis Parochis contulisset: Confratribus imprimis adeò amabilis fuit, Parens desideratissimus, ut Congregationes (uti vocant) non apud alium, quam apud eum, Assessorem nempe Contubernii deligerent. Visitationibus insuper adfuit, quoties Excell. Superintendentes utpote, Oracle illud Hungariæ David Lani, & Saboinik, senex mitissimus, uterq; vñ c̄r d̄ylois officio illō sunt defuncti, quas mala fide nuper quidam in dubium vocabat, consuetudinum Patriæ ignarimus. Sed & hic Parens meus non erat sine Cruce & Tentatione, individuo Comite officii sacrí. Nam à milite Cæsareano, omnibus propè spoliatus fuit: mecum vix in expeditione illa Anni 1663, Tartarorum manus evasit: ab Hungarici militis gladio, vix vitam fugâ eripuit, ac quod est palmarium ejus infelicitatis, Filium maximum à Turcis captum ad Vetusolum, vix lacrymis & 100. Imp: pretio redemit. Ad hæc omnia: subsequuta est fatalis illa & omnibus Gentibus suspecta Citatio, ordine tertia, in qua de Ministerio Lutherano in Hung. penitus extirpando faba cuius erat, ad quam viriliter comparuit, & cum reliquis [simplici]stis licet & abjectissimis, uti loqui aliqui amant, magnis tamen coram oculis Dei] Cleri Romani Reversalibus, eas procaciter obtrudentibus, & nihil nisi subscribite sicut Antecessores, clamantibus, animosè restitit,



stitit: ratus beatius esse omnia potius perdere, quam bonam famam,  
& conscientiam in Ministerio sancte Christo servatam, per  
fassionem, contrariam facta, laedere & prostituere. Hinc commu-  
nem, qvoad beneficium Numen opitulatricem dextram non porre-  
xerit, atrocitatem ab Adversariis, sed patientissime & constantissi-  
mè sustinet, ac cum eo ex eodem Contubernio Confratres Pl. Reve-  
rend. D. Leporini, Timkovits, Vég, Samuel & Balthasar Nikle-  
tsius, Gotsio ex vinculis ad Cœlestia evocato. Habet jam cur sibi  
**gratuletur**, Comitus noster abjectissimus, in quo tanti inven-  
ti sunt, qui aliquid paterentur Christi causâ, quanti in nullo alio,  
Ulti ex reducibus illâc hæc cum dolore, lachrymis mixto, percepit.

Tu verò Domine memor esto opprobrii servorum Tuorum Ps.  
89, 51. & vinctos Tuos, Filios mortis, non despicias. Psal. 69, 34.

Habes hic affectus filialis tributum Vir Cl, qvod tantis beneficijs  
obæratus, Parenti meo, studiorum meorum, qui semper puppis & pro-  
fuit, ut debui pridem, sic sub Tuo nomine vulgare volui: ut, sive re-  
deat, (qvod omnes afflitti & deserti, calentissimi desideramus suspi-  
riis) lætandi materiam ex suis fatis concipiat; sive vitam ei Transtra  
cripuerint, (qvod deprecamur) observantiae tamen prostet æter-  
num, filialis in Parentem in Triremibus gementem, sub Tui nomi-  
nis Clarissimo splendore, monumentum.

*Liceat hic meum facere Epiphonema.*

**Surge Deus tua res agitur, tua causa laborat!**

**Religio patitur, vim sacra: Surge Deus!**

† in cuius Comitatûs præcipuo Oppido, Taxoviæ, Pl. Rev. Elias La-  
dixer F. communis & felicissimus Præceptor Hungariæ, ante exi-  
lium proximè Pastorem egit, nunc Exul Christi. Cui Deus ubivis  
bene vœlit!





## DÆDALUS REDIVIVUS.

**S**pirante tandem Turbine concito  
Livoris atri, Sors cadit aspera.  
    Pro felle, mel fragrans *Erynnis*  
    Immemor ipsa sui propinat.  
**I**O! triumpha vi<sup>t</sup>or ab hostibus  
**T**riumphe LANI! nam Tibi *compedes*  
    In *annulos* iv<sup>e</sup>re. Vi<sup>t</sup>us  
    Nunc agitas meritos triumphos.  
*Virtutis istud fænus, & inclyti*  
**M**erces *laboris*. Sic superum manūs  
    Flectunt Furoris constituta,  
    Qvæ innocuis rabies paravit.  
**O** si nitescant vel modò sæpia  
In hac nigella, facta recentia,  
    Centum dolores, mille casūs,  
    Mille specus, lacrymæq; mille.  
**Q**vando sub umbras, *Ausonius Lupus,*  
*Romana Circe*, Te rapuit furens,  
    Ut Te profundâ nocte tetræ  
    Contegerent penitus tenebræ.

Sed

Sed non valebant antra repellere  
*Lucem innocentis*: squalida carceris  
Illuminavit lustra *Virtus*.

Non potis hanc laqueis ligare.  
At qvale monstrum? rasa cohors *Patrum*  
Multis ruinis ingluviem beat.

*Vernæ Nigrantum* tunc furores  
Exsatiant sitientis alvi,

Summi Parentis sanguine *Præsulum*,  
Qvorum *quadrati* pectoris entheus

*Zelus* refugit *nomina Aulæ*

*Persephones* dare *scriptæ* subter.

[: Qvæcausa? Res est Religio abdita.

Non est meretrix, respuit omnia

*Pigmenta*. Sæpe est parvus error

*Principium gravium malorum*:]

Perausta lis est: Vertituren furor!

*Manūs* negabant officium *sacrum*

*Sensere* tali, dum furentis

*Vos ageret* rabies catervæ.

Heu! qvos dolores inter & omnium

Pondus laborum plus mage concidunt

*Viri dolorum!* purpurascit

Hoc mare *Parthenopes* cruore.

Testor



Testor *Triremes Parthenope* tuas!  
Vastos dederunt hæ gemitūs, ubi  
Sensere *Patres*, qvos cohortis  
*Carnificum* lacerabat ungvis.

Hæc fata flentis pro! *Patriæ & Patrum!*  
Te *Magne KLESCHI* testor! ut in *Tuum*  
Caput verendum fudit omne  
*Lojola* perfidiosus oestrum.

Tandemq; vinclum misit in *ultimos*  
Antri recessus. *Cœca piaculum*  
*Qværebat insōns Turba, solis*  
*Suppliciis recreanda KLESCHI.*

Tu testis horum [: *ludibrium Pater*  
Cleri:] dolorum, qvi prope tartari ad  
Demissus *umbras, ferro onustus,*  
*Ad strigibus cumulata lustra.*

*Lyra, hic quiescas!* non modò luctibus  
His convenit: mutus gemitum tene.  
[: *Hebeu! Pater nostrum dolorum!*  
Deficiunt lacrymæ gementem.]

*Hucusq; Fortuna licuit Tuæ*  
Præclare LANI; vertitur alea  
Sortis malignæ: providus dum  
*Dedaleas Tibi singis alas;*

Imd



3123 QK

Imò ambierunt Te Aligeri Chori,  
Subvectus illis, deseris atria  
*Dolis repleta.* Hanc sorte faustâ.  
*Artem imitatur AMICA BIGA,*  
*Favebat æther, qvi hæc sacra præsciit,*  
*Vos junxit una. Terna ades hostia*  
Redux flagranti erepta furno  
*Qvem Babylonia struxit Ate.*  
*Finita luæta est! Jam pius occine*  
*Pæana lætum: luætibus abstine,*  
*Dedisse fletum: [ cede mœror, ]*  
Dum Tibi puniceâ Tiarâ  
*Missnæia vestit nunc Phyliræ caput,*  
*Et Te Sophorum conseqvitur decus.*  
*Per dulce fit pressissé conto*  
*Littora, & æquoreos penates.*  
Prævertis omnes, Dardanidum solum  
Linqvens: Magistri Nomina mox capis  
Utrumq; tectè: Nonne utroq;  
**DÆDALUS es, SOPHIÆ MAGISTER?**  
*Ita dignos honores asurgens veneratus est*  
*SUI CL.M. LANI,*  
**GEORGIUS GASSITZIUS**  
Hung.



107

3123

QK.253. 93.

è duplicitate

Bid

CLARISSIME

M. G.  
LA


In ante Civi  
NENSIS

Ad Triremes N  
justissimè, jux  
in Ge

IN AL  
Supremos i

A.O.R. M

Typis JOHAN



**TIFFEN® Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2007

